

213.



Disputatio VI.

DE ADQUISITIONE DOMINII
per Traditionem.*Cuius subiecta Themata,*

A. D. T. E. V.

PRÆSIDE

CLARISSIMO

CONSULTISSIMO QVE

VIRO, DN. HENRICO BOCE-

RO, IC. ET IN ILLVSTRI TVBINGEN-

sium Academia Antecessore celeberrimo, Præceptore ac

hospite suo summa obseruantia

colendo:

ORDINARII EXERCITII GRA-
tia, hora locoq; consuetis,

Discutienda proponit

Daniel Bernholdt / ab Eschauu
Francus.

TVBINGÆ,

Typis Georgij Gruppenbachij.

ANNO M. D. XCIX.

Distinction VI
De... ..

A. O. T. E. V.

OLARISIMO
... ..

... ..

... ..

Daniel... ..

... ..

... ..

ANN O M D LXX



I.
Disputatio VI.
DE ADQUISITIONE
DOMINII PER TRADI-
TIONEM.

T H E S I S. I.

SEQVITVR VT DE TRADITIONE VIDEA-
mus. Traditio est modus acquirendi dominij, (a) quo
Dominus rem suam ex iusta causa alij eam accipienti, &
dominium eius adquirere volenti, hoc animo permittit,
vt in ipsum rei illius dominium transferat. (b)

a) *l. Traditionibus 20. C. de pactis l. 1. §. 2. ff. de public. in rem act.* (b) *l. quaratione. 9. §. ha quoq₃ res. 3. & §§. seqq. l. Traditio 20. & l. nunquam 31. in pr. ff. de acquir. rer. dom. & §. per traditionem Instit. de Rer. diuis.*

II.

In Traditione spectamus tum ipsum tradentem, & accipientem;
tum species Traditionis.

III.

In tradente requirunt Iura, & potestatem rei alienandæ, & vo-
luntatem transferendi Dominij.

IV.

Potestatem rei alienandæ habet Dominus, (a) qui iure suam rem
alienare non prohibetur. (b)

a) *§. Ex his itaq₃ vers. & hoc est ibi, si Dominus fuerit, qui tradidit. Instit. per quas personas cuiq₃ acquiritur d. l. Traditio 20. in princ. ff. de acquir. rer. dom. l. Nemo plus Iuris. ff. de Reg. Iur.* (b) *Tot. tit. Instit. Quibus alienare licet, vel non.*

V.

Nihil tamen interest, vtrum ipsemet dominus per se tradat alicui
rem, an eius voluntate alius; puta procurator domini ad hoc negoti-
um constitutus, (a) vel creditor, qui pignus ex debitoris voluntate
alienat. (b)

0 2

a) § nihil

a) §. nihil interest Instit. de Rer. diuis. l. qua ratione 9. §. nihil interest ff. de acquir. rer. domin. (b) §. Contra autem, Instit. quibus alienare licet vel non l. 4. ff. de pignorat. action. l. non est nouum 46. ff. de acquir. rer. dom.

VI.

Dominum autem hîc intelligimus non eum tantum, qui verè Dominus est, sed & eum, qui est loco Domini; qualis est tutor (a) & curator, (b) in administratione tutelæ & curæ.

a) l. Tutor qui tutelam. 27. ff. de administrat. & peric. tutor. l. qui fundum 7. §. si tutor ff. pro emptore. (b) l. qui neq; 8. in princ. ff. de reb. eor. qui sub tutela & cura sunt.

VII.

Alienare Dominus rem suam prohibetur, si minor viginti quinque annis sit, nec tutoris sui auctoritatem vel consensum curatoris sui adhibeat.

§. nunc admonendi Instit. quib. alienar. licet vel non. l. 3. C. de in integr. restitut. minor. l. obligari 9. §. pupillus ff. de Auctoritat. tutor.

VIII.

Huius quoque prædiana ne quidem tutoris auctoritate aut consensu Curatoris absque Magistratus decreto alienari possunt; ut nec res mobiles, quæ sine detrimento seruari queunt.

l. 2. l. et si 9. & tot. tit. C. de prædijs & alijs reb. minor. l. 1. & tot. tit. ff. de reb. eor. qui sub tutela vel cura sunt, sine decret. non alienand.

IX.

Maritus quoque, licet Dominus sit rei dotalis, (a) fundum tamen dotalem inæstimatum alienare nequit. (b)

a) Vidè Dn. præsidis comment. ad l. contractus 23. ff. de R. I. cap. 4. n. 10. Dissentit Dn. Vultus lib. disceptationum Scholasticarum cap. 19. (b) Instit. Quib. alienar. licet vel non, in princ. & tot. Tit. ff. & C. de fund. dotal.

X.

Neque coniux in coniugem simplicem conferre donationem potest.

l. 1. l. 2. l. 3. & tot. tit. ff. de donat. inter vir. & vxor.

XI.

Nec est alicui integrum ultra quingentos aureos absque insinuatione donare cuiquam.

§. Alia

§. *Alia autem donationes, vers. & cum retrò* Instit. de donat. l. *sancimus* 34. l. *penult.* §. *ult.* C. de donat. vide sub classe 1. disputat. 22. Thes. 27. & seqq. Tum etiam Dn. *Præsidis* Tractat. de donationib. cap. 3. num. 16. & seqq.

XII.

Voluntas quoq; tradentis, vt dixi, ad traditionem requiritur. (a) quippe cum nemo inuitus rem suam regulariter amittat. (b)

a) §. *per traditionem* Instit. de Rer. Diuis. l. *qua ratione* 9. §. *hæ quoq; res ff. de acquir. rer. dom.* (b) *si procurator* 35. ff. d. tit.

XIII.

Eiusmodi autem voluntas ex tribus colligitur. Primum est, si tradens sciat rem suam esse, cuius dominium in alium transferre cogitat.

d. l. *si Procurator* 35. ff. d. t. l. 3. §. *subtilius* ff. de condict. causa dat. causa non secut.

XIV.

Alterum est, si traditio procedat ex aliqua causa ad dominij translationem capta. Nunquam enim nuda traditio dominium transfert, sed ita si aliqua iusta causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur, (a) qualis causa est, emtio, venditio, donatio, dos, permutatio, solutio, Legatum (b)

a) l. *nunquam* 31. ff. de acquir. rer. dom. (b) §. *per traditionem vers. Sed si quidem ex causa donationis* Instit. de R. D. §. *Sed tamen ibi, vendiderit, donauerit, aut dotis nomine dederit,* Instit. de vsucap. §. *Adeò autem, ibi, id prædium vendiderit aut donauerit aut dotis nomine dederit, alioué quocunq; modo alienauerit* Instit. de Locat. & conduct. & l. *quoties* 47. §. *ult.* ff. de pecul. d. l. *nunquam* 31. ff. de Acquir. rer. domin. l. 1. & ll. seqq. ff. de public. in rem act. l. *pro soluto* 46. ff. de vsucap. Tit. ff. pro emtore Tit. ff. pro donato. Tit. ff. pro Legato tit. ff. pro dote.

XV.

Tertium speciale, est & proprium emtionis, nempe si ipsi tradenti venditori precium soluerit emtor accipiens rem traditam, vel alio modo ei satisfecerit, veluti ex promissore, vel fideiussore, vel pignore dato, vel tradens venditor fidem emtoris accipientis secutus sit.

§. Vendita verò res. Instit. de R. D. l. procuratoris 5. §. penult. ff. de tributor. act. l. quod vendidi. 19. vbi gl. & Mudæ. l. vt res emtoris 53. & ibi Mudæ. ff. de contrahend. emt. & vendit. l. quoties 15. ibi ac precium exoluisse C. de rei vindicat. l. si rem 9. §. omnis ff. de pign. act.

XVI.

Quod attinet accipientem, in eo desideramus duo: apprehensionem rei traditæ, & consensum.

XVII.

Apprehensio possessionis omninò hîc necessaria est, quippe cum per possessionem dominium, id est, proprietas adquiratur iure gentium.

l. 1. §. 1. ff. de acquir. vel amit. possess. §. ex his itaq; vers. & hoc est ibi, vobis adquiri possessionem & per hanc etiam dominium, Instit. per quas personas cuiq; adquiritur. Vide Anton. Cont. lib. 1. disputat. Iur. cap. 8.

XVIII.

Consensus accipientis similiter hîc maximè necessarius est. In omnibus enim rebus, quæ Dominium transferunt, concurrat oportet ex vtraq; parte affectus. Nam siue ea venditio, siue donatio, siue quælibet alia causa alienandi fuerit, nisi animus vtriusq; consentiat, perducitur ad effectum, quod inchoatur, non potest.

l. in omnib. 55. ff. de Obligat. & Act.

XIX.

Consensus autem ille concernere duo debet, corpus quod traditur, & Domini translationem.

XX.

Consensus in corpus est, si in traditione idem indiuiduum spectet accipiens, quod alienare voluit tradens: In quo si errent & dissentiant, non transit dominium.

l. cum in corpus 36. ff. de acquir. Rer. dom. iunct. l. si me in vacuam 34. ff. de acquir. vel amit. possess.

Dissen-

XXI.

Dissensus verò & error circa causam transferendi dominij nihil impedit, quo minùs dominium in accipientem transeat.

d. l. cum in corpus 36. ff. de adquir. rer. dom. Obstat videtur l. si ego 18. in princ. ff. de reb. credit. ad quem locum aliter respondet Connan. lib. 3. Commentar. cap. 7. num. 4. aliter Donell. lib. 4. Commentar. cap. 18. pag. 266.

XXII.

Vnde si ego credam, ex testamento me tibi obligatum esse, vt fundum tradam, tu existimes ex stipulatu tibi eum deberi, non animaduerto, ait Iulianus, cur inefficax sit traditio.

d. l. cum in corpus 36. ff. de adquir. rer. domin.

XXIII.

Similiter, si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quasi creditam accipias, constat proprietatem ad te transire.

d. l. cum in corpus 36. ff. d. t.

XXIIII.

Consensus in translationem Dominij est, si accipiens non minus eo sit animo, vt velit rem, quæ traditur, sui dominij fieri, quàm tradens hoc animo est, vt rem faciat accipientis. Nam si tradens quasi mutuam pecuniam dederit, accipiens verò quasi ostentandi causa, antea commodatam acceperit, non transit eius pecuniæ Dominium in accipientem: vt nec si ego quasi deponens tibi dederò, tu quasi mutuam accipias pecuniam.

d. l. si ego 18. §. 1. ff. de reb. credit.

XXV.

Similiter, si ego pecuniam tibi quasi donaturus dederò, tu quasi mutuam accipias, Iulianus itemq; Vlpianus scribunt, nec donationem, nec mutuum esse, proindeq; nummos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit.

d. l. si ego. 18. in pr. ff. d. t.

Sequun-

XXVI.

Sequuntur nunc species Traditionis, quæ duæ sunt; vera siue propria Traditio, & quasi siue ficta Traditio.

l. qui saxum 6. ibi, quasi Traditio ff. de donat. Speculat. tit. de emt. & vendit. §. 1. n. 53. ibi, locum non habet vera Traditio, sed quasi. Cuiac. lib. 4. Observat. cap. 3. & Hotoman. lib. question. Illustr. quest. 12.

XXVII.

Propria & vera Traditio est, qua tradens, possessionem rei mobilis transfert, & accipiens eandem corpore & actu apprehendit.

l. 1. §. si iusserim ff. vel adquir. de amitt. possess. Theophilus definit, quòd sit de manu in manum translatio in §. p. Traditionem Instit. de rer. diuis.

XXVIII.

Hæc traditio fit vel in personam certam, vel in incertam; personam veluti cum Magistratus missilia in vulgus iactat.

§. hoc amplius Instit. de rer. diuis. l. 1. & 2. C. d. Consulib. & non spargend. lib. 12.

XXIX.

Quasi siue ficta traditio est, qua res verè non traditur. Sed pro tradita habetur. (a) Estq; rei corporalis, vel incorporalis. (b) Illa propriè huius est loci, hæc non æquè? (c)

a) d. l. 1. §. si iusserim 21. ibi. Nam pro traditis eas haberi ff. de adquir. vel amitt. possess. (b) l. si ego 11. §. 1. ff. de public. in rem Act. (c) Agimus enim hic de modis acquirendi dominium proprietatis, non de dominio Iuris, de quo disputatione proxima dispiciemus.

XXX.

Quasi traditio rei corporalis est, si quis rem suam, quam tibi commodauerit, aut locauerit, aut apud te deposuerit, postea ex aliqua alienationis causa tuam esse patiat: veluti ex causa venditionis, vel donationis, vel dotis, vel permutationis.

§. Inter-

§. Interdum etiam sine traditione Instit. de rer. diuis. l. qua ratione. 9. §. interdum ff. de acquir. rer. dom. d. l. 1. §. si iusserim ff. de acquir. vel amitt. possess. l. certi 9. §. vlt. & l. seq. l. singularia 15. vers. quod igitur in duabus, ff. de rebus credit. & facit l. si ex precio 6. C. d. t.

XXXI.

Est item eiusmodi traditio, si pecuniam, quam mihi debes, aut aliam rem in conspectu meo teponere iubeam. Ita enim efficitur, ut & tu statim libereris, & mea esse incipiat. Nam tum quodà nullo corporaliter eius rei possessio detineretur, acquisita mihi, & quodammodo manu longa tradita existimanda est.

l. pecuniam. 79. ff. de solut.

XXXII.

Talis item traditio est, si quis saxum mihi eximere de suo permittat, donationis causa; statim enim cum lapis exemptus est, quodammodo traditione meus est factus.

l. qui saxum 6. ff. de donat.

XXXIII.

Est quoque huius generis traditio, si debitorem meum iussero id, quod mihi debet, ex causa alienandæ rei tibi tradere: (a) qualis traditio breui manu fieri dicitur. (b)

a) *d. l. singularia. 15. in princ. ff. de reb. credit. d. l. 1. §. si iusserim vers. idemque esse ff. de acquir. vel amittend. possess.* (b) *l. licet 43. §. Quotiens ff. de iur. dot. Vide Cuiac. lib. 4. Observat. cap. 3.*

XXXIV.

Qui item ex quadam alienationis causa alieno nomine possidere incipit, ex quasi hac traditione acquirit (a) veluti si quis absenti alicui rem suam vel per epistolam donet, ita ut eandem rem sibi ab eodem conducat, (b) aut rem suam donando, vel in dotem dando, vel vendendo, usufructum eius sibi retineat.

p.

a) *l. quod*

a) *l. quod meo 18. princ. ff. de acquir. vel amitt. possess.* (b) *l. quaedam 77. ff. de rei vindicat. l. quisquis 28. & l. si quis argentum 35. §. sed si quidem C. de donat.*

XXXV.

Huiusmodi quoq; traditio fit nota & Symbolo quodam: veluti si quis merces in horreo depositas vendiderit, & claves horrei in re presente, id est, apud horreum emtori tradiderit, (a) Ita enim traditis clauibus ipsarum mercium in horreo conditarum, possessio tradita videtur, & confestim emtor dominium, (si venditor dominus sit) & possessionem adipiscitur. (b)

a) *§. item si quis Instit. de rer. diuis. d. l. qua ratione 9. §. Item si quis merces. ff. de acquir. rer. domin.* (b) *l. clauibus 74. ff. de contrahend. emt. & vendit.*

XXXVI.

Si quoq; vino vendito tradantur emtori claves cellæ vinariæ, quasi isthæc traditio est.

d. l. 1. §. si iusserim vers. & vina tradita ff. de acquir. vel. amitt. possess.

XXXVII.

Instrumenti quoq; traditio, qua voluntas Domini testata est, rei traditæ nota habetur.

l. 1. C. de donat. l. quaedam 77. ff. de rei vindicat.

XXXVIII.

Consignatione item rei fit quasi traditio, veluti si emtor rem emtam signet.

l. quod si 14. §. 1. ff. de peric. & commod. rei vendita.

XXXIX.

Deniq; oculis, & aspectu cum mente & cogitatione tradendæ & accipiendæ rei fit quasi traditio, in re quæ moueri non potest.

d. l. 1. §. si iusserim ff. de acquir. rer. domin.

Vnde

Vnde si quis ex voluntate Domini alienantis ingrediatur in fundum, vel ædes, hac mente, vt velit totum fundum, aut ædes vsq; ad terminum sibi habere, pro tradito fundus ille, aut ædes pro traditis habentur.

d. l. 1. §. si iusserim. vers. nam pro traditis. & l. 3. §. 1. ff. de acquir. vel amit- tend. poss.

XLI.

Incorporalis rei ficta, siue quasi traditio, est seruitutum aliarumq; rerum, quæ iniure consistunt. Harum rerum nulla dicitur esse traditio.

l. vlt. ff. de Seruitut. Tradi tamen dicuntur in l. si ego n. §. 1. ff. de publ. in rem Act. l. 3. ff. de vsufr. l. 1. §. vlt. ff. de Seruitut. rusticor. præd. Est ergò earum quasi traditio, si quidem earum non vera sit possessio, sed dicatur quasi possessio l. ait prætor. 23. §. item ei ff. ex quib. causis maior. Et quis intelligatur saltem earum habere possessionem, l. si ædes 32. in fin. ff. de Seruitut. vrb. præd.

Corollaria

I.

Antinomias in libris iuris nostri extare nul- las Iustinianus Imperator voluit.

II.

Quasdam tamen in eos irrepsisse haud dubita- mus.

III.

Pactum iure canonico actionem producere negamus.

p 2

Mari

IV.

*Maritus si quas speciosas uxori suæ vestes
comparat, donationem in eam confert.*

V.

*Ea licet viuo marito inutilis sit, morte tamen
illius, si durante matrimonio reuocata non fuerit,
confirmatur.*

VI.

*In causa criminali fideiussor admittitur, ut re-
um iudicio sisti promittat.*

VII.

*Malefica, ob indicia vehementiora quæ-
stionibus subiecta, si crimen nullo modo fateatur,
sed constanter neget, euidentioribus argumentis
expressa, repeti in quæstionem potest: maxime
si in tormenta animum, corpusq; durauerit.*

VIII.

*Quòd si nec in altera illa quæstione quicquam
fateri velit, non condemnari, sed absolui debet.*

FINIS DISPUTATIONIS
SEXTÆ.

Ka 3071

(3/4)


ULB Halle 3
003 261 573



sb

Burblind. 3/1.





Disputatio VI.

QUISITIONE DOMINII
per Traditionem.

Cuius subiecta Themata,

A. D. T. E. V.

PRÆSIDE

ARISSIMO

ULTISSIMO QVE

DN. HENRICO BOCE

IN ILLUSTRITVINGEN-

nia Antecessore celeberrimo, Præceptore ac

hospite suo summa obseruantia

colendo:

ARI EXERCITII GRA-

tia, hora locoq^{ue} consuetis,

Discutienda proponit

iel Bernholdt / ab Eschauu

Francus.



TVINGÆ,

s Georgij Gruppenbachij.

ANNO M. D. XCIX.

